

Nepos' *Life of Hannibal*

CHAPTER 1 (1) Hannibal, Hamilcaris filius, Karthāginiēnsis. Sī vērum est, quod nēmō dubitat, ut populus Rōmānus omnēs gentēs virtūte superārit, nōn est īfītiandum Hannibalem tantō praestitisse cēterōs imperātōrēs prūdentiā, quantō populus Rōmānus antecēdat fortitūdine cūnctās nātiōnēs.

(2) Nam quotiēnscumque cum eō congressus est in Italiā, semper discessit superior. Quod nisi domī cīvium suōrum invidiā dēbilitātus esset, Rōmānōs vidētur superāre potuisse. Sed multōrum obtrectatiō dēvīcit ūnius virtūtem.

(3) Hīc autem, velut hērēditāte relictum, odium paternum ergā Rōmānōs sīc cōservāvit, ut prius animam quam id dēposuerit, quī quidem, cum patriā pulsus esset et aliēnārum opum indigēret, numquam dēstiterit animō bellāre cum Rōmānīs.

CHAPTER 2 (1) Nam ut omittam Philippum, quem absēns hostem reddidit Rōmānīs, omnium iīs temporibus potentissimus rēx Antiochus fuit. Hunc tantā cupiditāte incendit bellandī, ut ūsque ā rubrō marī arma cōnātus sit īferre Italiae.

(2) Ad quem cum lēgātī vēnissent Rōmānī, quī dē ēius voluntāte explōrārent darentque operam, cōnsiliīs clandestīnīs, ut Hannibalem in suspīcīōnē rēgī addūcerent, tamquam ab ipsīs corruptus alia atque anteā sentīret, neque id frūstrā fēcissent idque Hannibal comperisset sēque ab interiōribus cōnsiliīs sēgregārī vīdisset, tempore datō adiit ad rēgem.

(3) Eīque cum multa dē fidē suā et odiō in Rōmānōs commemorāset, hōc adiūnxit: "Pater meus" inquit "Hamilcar puerulō mē, utpote nōn amplius novem annōs nātō, in Hispāniam imperātor proficīscēns, Karthāgine Iovī optimō māximō hostiās immolāvit.

(4) Quae dīvīna rēs dum cōnficiēbātur, quaesīvit ā mē, vellemne sēcum in castra proficīscī. Id cum libenter accēpissem atque ab eō petere coepissem, nē dubitāret dūcere, tum ille 'Faciam', inquit 'sī mihi fidem, quam postulō,

dederis.' Simul mē ad āram addūxit, apud quam sacrificāre īstituerat, eamque cēterīs remōtīs tenentem iūrāre iūssit numquam mē in amīcitiā cum Rōmānīs fore.

(5) Id ego iūs iūrandum patrī datum ūsque ad hanc aetātem ita cōservāvī, ut nēminī dubium esse dēbeat, quīn reliquō tempore eādem mente sim futūrus.

(6) Quārē, sī quid amīcē dē Rōmānīs cōgitābis, nōn imprūdenter fēceris, sī mē cēlāris; cum quidem bellum parābis, tē ipsum frūstrāberis, sī nōn mē in eō prīncipem posueris."

CHAPTER 3 (1) Hāc igitur, quā dīximus, aetāte cum patre in Hispāniam profectus est.

Cuius post obitum, Hasdrubale imperātōre suffectō, equitātuī omnī praefuit. Hōc quoque interfectō, exercitus summam imperiī ad eum dētulit. Id Karthāginem dēlātum pūblicē comprobātum est.

(2) Sīc Hannibal, minor quīnque et vīgintī annīs nātus imperātor factus, proximō trienniō omnēs gentēs Hispāniae bellō subēgit; Saguntum, foederātam cīvitātem, vī expugnāvit; trēs exercitūs māximōs comparāvit.

(3) Ex hīs ūnum in Āfricam mīsit, alterum cum Hasdrubale frātre in Hispāniā relīquit, tertium in Italiam sēcum dūxit. Saltum Pȳrēnaeum trānsiit. Quācumque iter fēcit, cum omnibus incolīs cōflīxit: nēminem nisi victum dīmīsit.

(4) Ad Alpēs posteāquam vēnit, quae Italiam ab Galliā sēiungunt, quās nēmō umquam cum exercitū ante eum praeter Herculem Grāium trānsierat, quō factō is hodiē saltus Grāius appellātur, Alpicōs cōnantes prohibēre trānsitū concīdit; loca patefēcit, itinera mūniit, effēcit, ut eā elephantus ḫornātus īre posset, quā anteā ūnus homō inermis vix poterat rēpere. Hāc cōpiās trādūxit in Italiamque pervēnit.

CHAPTER 4 (1) Cōflīixerat apud Rhodanum cum P. Cornēliō Scīpiōne cōnsule eumque pepulerat. Cum hōc eōdem Clastidī apud Padum dēcernit sauciumque inde ac fugātum dīmittit.

(2) Tertiō īdem Scīpiō cum collēgā Tiberiō Longō apud Trebiam adversus eum vēnit. Cum hīs manum cōseruit, utrōsque prōflīgāvit. Inde per Ligurēs Appennīnum trānsiit, petēns Etrūriam.

(3) Hōc itinere adeō gravī morbō adficitur oculōrum, ut posteā numquam dextrō aequē bene ūsus sit. Quā valētūdine cum etiam tum premerētur lecticāque ferrētur, C. Flāminium cōsulem apud Trasumēnum cum exercitū īnsidiīs circumventum occīdit, neque multō post C. Centenium praetōrem cum dēlēctā manū saltūs occupantem. Hinc in Āpuliam pervēnit.

(4) Ibi obviam eī vēnērunt duo cōsulēs, C. Terentius et L. Aemilius. Utrīusque exercitūs ūnō proeliō fugāvit, Paulum cōsulem occīdit et aliquot praetereā cōsulārēs, in hīs Cn. Servīlium Geminum, quī superiōre annō fuerat cōsul.

CHAPTER 5 (1) Hāc pugnā pugnātā, Rōmam profectus nūllō resistente. In propinquīs urbī montibus morātus est. Cum aliquot ibi diēs castra habuisset et Capuam reverterētur, Q. Fabius Māximus, dictātor Rōmānus, in agrō Falernō eī sē obiēcit.

(2) Hīc, clausus locōrum angustiīs, noctū sine ūllō dētrīmentō exercitūs sē expedīvit; Fabiōque, callidissimō imperātōrī, dedit verba. Namque, obdūctā nocte, sarmenta in cornibus iuvencōrum dēligāta incendit ēiusque generis

multitudinem magnam dispalatam immisit. Quo repentinō obiectō visū tantum terrōrem iniēcit exercituī Rōmānōrum, ut ēgredī extrā vallum nēmō sit ausus.

(3) Hanc post rem gestam nōn ita multīs diēbus M. Minucium Rūfum, magistrum equitum parī ac dictatōrem imperiō, dolō prōductum in proelium, fugāvit. Ti. Semprōnium Gracchum, iterum cōsulem, in Lūcānīs absēns in īnsidiās inductum sustulit. M. Claudium Marcellum, quīnquiēns cōsulem, apud Venusiam parī modō interfēcit.

(4) Longum est omnia ēnumerāre proelia. Quā rē hōc ūnum satis erit dictum, ex quō intellegī possit, quantus ille fuerit: quamdiū in Italiā fuit, nēmō eī in aciē restitit, nēmō adversus eum post Cannēensem pugnam in campō castra posuit.

CHAPTER 6 (1) Hinc invictus patriam dēfēnsum revocātus, bellum gessit adversus P. Scīpiōnem, filium ēius, quem ipse prīmō apud Rhodanum, iterum apud Padum, tertīō apud Trebiam fugārat.

(2) Cum hōc, exhaustī iam patriae facultātibus, cupīvit impraesentiārum bellum compōnere, quō valentior posteā congrederētur. In colloquium convēnit; condiciōnēs nōn convēnērunt.

(3) Post id factum paucīs diēbus apud Zamam cum eōdem cōflīxit: pulsus — incrēdibile dictū — bīduō et duābus noctibus Hadrūmētum pervēnit, quod abest ab Zamā circiter mīlia passuum trecenta.

(4) In hāc fugā, Numidae, quī simul cum eō ex aciē excesserant, īnsidiātī sunt eī; quōs nōn sōlum effūgit, sed etiam ipsōs oppressit. Hadrūmētī reliquōs ē fugā collēgit; novīs dīlēctibus paucīs diēbus multōs contrāxit.

CHAPTER 7 (1) Cum in apparandō ācerimē esset occupātus, Karthāginiēnsēs bellum cum Rōmānīs composuērunt. Ille nihilō sētius exercituī posteā praefuit rēsque in Āfricā gessit ūsque ad P. Sulpicium C. Aurēlium cōnsulēs.

(2) Hīs enim magistratibus lēgātī Karthāginiēnsēs Rōmam vēnērunt, quī senātuī populōque Rōmānō grātiās agerent, quod cum iīs pācem fēcissent, ob eamque rem corōnā aureā eōs dōnārent simulque peterent, ut obsidēs eōrum Fregellīs essent captīvīque redderentur.

(3) īs ex senātūs cōsultō respōnsum est: mūnus eōrum grātum acceptumque esse; obsidēs, quō locō rogārent, futūrōs; captīvōs nōn remissūrōs, quod Hannibalem, cuius operā susceptum bellum foret, inimīcissimum nōminī Rōmānō, etiam nunc cum imperiō apud exercitum habērent itemque frātrem ēius Māgōnem.

(4) Hōc respōnsō Karthāginiēnsēs cōgnitō, Hannibalem domum et Māgōnem revocārunt. Hūc ut rediit, rēx factus est, postquam praetor fuerat annō secundō et vīcēsimō. Ut enim Rōmae cōsulēs, sīc Karthāgine quotannīs annuī bīnī rēgēs creābantur.

(5) In eō magistrātū parī dīligentiā sē Hannibal praebuit, ac fuerat in bellō. Namque effēcit, ex novīs vectīgālibus nōn sōlum ut esset pecūnia, quae Rōmānīs ex foedere penderētur, sed etiam superesset, quae in aerāriō repōnerētur.

(6) Deinde M. Claudiō L. Fūriō cōsulibus, Rōmā lēgātī Karthāginem vēnērunt. Hōs Hannibal ratus suī exposcendī grātiā missōs, priusquam iīs senātus darētur, nāvem ascendit clam atque in Syriam ad Antiochum perfūgit.

(7) hāc rē palam factā Poenī nāvēs duās, quae eum comprehendenterent, sī possent cōsequī, mīsērunt, bona ēius pūblicārunt, domum ā fundāmentīs disiēcērunt, ipsum exsulem iūdicārunt.

CHAPTER 8 (1) At Hannibal annō tertīo, postquam domō profūgerat, L. Cornēliō Q. Minuciō cōnsulibus, cum quīnque nāvibus Āfricam accessit in fīnibus Cȳrēnaeōrum, sī forte Karthāginiēnsēs ad bellum Antiochī spē fīdūciāque indūcere posset, cui iam persuāserat, ut cum exercitibus in Italiam proficīscerētur. Hūc Māgōnem frātrem excīvit.

(2) Id ubi Poenī rēscīvērunt, Māgōnem eādem, quā frātrem, absentem affēcērunt poenā. Illī, dēspērātīs rēbus, cum solvissent nāvēs ac vēla ventīs dedissent, Hannibal ad Antiochum pervēnit. Dē Māgōnis interitū duplex memoria prōdita est. Namque aliī naufragiō, aliī ā servulīs ipsīus interfectum eum scriptum relīquērunt.

(3) Antiochus autem, sī tam in agendō bellō cōsiliīs ēius pārēre voluisset, quam in suscipiendō īstituerat, propius Tiberī quam Thermopylīs dē summā imperiī dīmicāset. Quem etsī multa stultē cōnārī vidēbat, tamen nūllā dēseruit in rē.

(4) Praefuit paucis nāvibus, quās ex Syriā iūssus erat in Āsiā dūcere, iīsque adversus Rhodiōrum classem in Pamphylō marī cōflīxit. Quō cum multitūdine adversāriōrum suī superārentur, ipse, quō cornū rem gessit, fuit superior.

CHAPTER 9 (1) Antiochō fugātō, verēns nē dēderētur, quod sine dubiō accidisset, sī suī fēcisset potestātem, Crētam ad Gortyniōs vēnit, ut ibi, quō sē cōferret, cōnsiderāret.

(2) Vīdit autem vir omnium callidissimus in magnō sē fore perīculō, nisi quid prōvīdisset, propter avāritiam Crētēnsium. Magnam enim sēcum pecūniā portābat, dē quā sciēbat exīsse fāmam.

(3) Itaque capit tāle cōsiliū. Amphorās complūrēs complet plumbō, summās operit aurō et argentō. Hās, praesentibus pīncipib⁹, dēpōnit in templō Diānae, simulāns sē suās fortūnās illōrum fideī crēdere. Hīs in errōrem inductīs, statuās aēneās, quās sēcum portābat, omnī suā pecūniā complet eāsque in prōpatulō domī abicit.

(4) Gortyniī templum magnā cūrā custōdiunt, nōn tam ā cēterīs quam ab Hannibale, nē ille, īnscientibus iīs, tolleret sēcumque dūceret.

CHAPTER 10 (1) Sīc cōnservātīs suīs rēbus, Poenus, illūsīs Crētēnsibus omnībus, ad Prūsiām in Pontūm pērvēnit. Apud quem eōdem animō fuit ergā Italiam neque aliud quicquam ēgit quam rēgem armāvit et exercuit aduersus Rōmānōs.

(2) Quem cum vidēret domesticīs opībus minus esse rōbustum, conciliābat cēterōs rēgēs, adiungēbat bellicōsās nātiōnēs. Dissidēbat ab eō Pergamēnus rēx Eumenēs, Rōmānīs amīcissimus, bellumque inter eōs gerēbātur et marī et terrā.

(3) sed utrobīque Eumenēs plūs valēbat propter Rōmānōrum societātem. Quō magis cupiēbat eum Hannibal opprimī; quem sī remōvisset, faciliōra sibi cētera fore arbitrābātur. Ad hunc interficiundum tālem iniit ratiōnem.

(4) Classe paucīs diēbus erant dēcrētūrī. Superābātur nāvium multitūdine; dolō erat pugnandum, cum pār nōn esset armīs. Imperāvit quam plūrimās venēnātās serpentēs vīvās colligī eāsque in vāsa fīctilia conicī.

(5) Hārum cum effēcisset magnam multitūdinem, diē ipsō, quō factūrus erat nāvāle proelium, classiārios convocat iīsque praecipit, omnēs ut in ūnam Eumenis rēgis concurrent nāvem, ā cēterīs tantum satis habeant sē dēfendere. Id illōs facile serpentium multitūdine cōsecūtūrōs.

(6) Rēx autem in quā nāve veherētur, ut scīrent, sē factūrum. Quem sī aut cēpissent aut interfēcissent, magnō iīs pollicētur praemiō fore.

CHAPTER 11

(1) Tālī cohortātiōne mīlitum factā, classis ab utrīsque in proelium dēdūcitur.

Quārum aciē cōnstitūtā, priusquam signum pugnae darētur, Hannibal, ut palam faceret suīs, quō locō Eumenēs esset, tabellārium in scaphā cum cādūceō mittit.

(2) Quī ubi ad nāvēs adversāriōrum pervēnit epistulamque ostendēns, sē rēgem professus est quaerere, statim ad Eumenem dēductus est, quod nēmō dubitābat, quīn aliquid dē pāce esset scriptum. Tabellārius, ducis nāve dēclārātā suīs, eōdem, unde erat ēgressus, sē recēpit.

(3) At Eumenēs, solūtā epistulā, nihil in eā repperit, nisi quae ad irrīdendum eum pertinērent. Cuius etsī causam mīrābātur neque reperiēbat, tamen proelium statim committere nōn dubitāvit.

(4) Hōrum in concursū Bīthȳniī Hannibalis praeceptō ūniversī nāvem Eumenis adoriuntur. Quōrum vim rēx cum sustinēre nōn posset, fugā salūtem petiit; quam cōsecūtus nōn esset, nisi intrā sua praesidia sē recēpisset, quae in proximō lītore erant conlocāta.

(5) Reliquae Pergamēnae nāvēs cum adversāriōs premerent ācrius, repente in eās vāsa fīctilia, dē quibus suprā mentiōnem fēcimus, conicī copta sunt. Quae iacta initiō rīsum pugnantibus concitārunt, neque, quā rē id fieret, poterat intellegī.

(6) Postquam autem nāvēs suās opplētās cōnspexērunt serpentibus, novā rē perterritī, cum, quid potissimum vītārent, nōn vidērent, puppēs vertērunt sēque ad sua castra nautica rettulērunt.

(7) Sīc Hannibal cōsiliō arma Pergamēnōrum superāvit, neque tum sōlum, sed saepe aliās pedestribus cōpiīs parī prūdentia pepulit adversāriōs.

CHAPTER 12 (1) Quae dum in Āsia geruntur, accidit cāsū, ut lēgātī Prūsiae Rōmae apud T.

Quinctium Flāminīnum cōsulārem cēnārent, atque ibi dē Hannibale
mentiōne factā, ex iīs ūnus dīceret eum in Prūsiae rēgnō esse.

(2) Id posterō diē Flāminīnus senātuī dētulit. Patrēs cōnscriptī, quī Hannibale
vīvō numquam sē sine īnsidiīs futūrōs existimārent, lēgātōs in Bīthȳniam
mīsērunt, in iīs Flāminīnum, quī ab rēge peterent, nē inimīcissimum suum
sēcum habēret sibique dēderet.

(3) Hīs Prūsias negāre ausus nōn est: illud recūsāvit, nē id ā sē fierī postulārent,
quod adversus iūs hospitiī esset: ipsī, sī possent, comprehendenderent; locum, ubi
esset, facile inventūrōs. Hannibal enim ūnō locō sē tenēbat, in castellō, quod eī
ā rēge datum erat mūnerī, idque sīc aedificārat, ut in omnibus partibus aedificiī
exitūs habēret, scīlicet verēns, nē ūsū venīret, quod accidit.

(4) Hūc cum lēgātī Rōmānōrum vēnissent ac multitūdine domum
ēius circumdedissent, puer, ab iānuā prōspiciēns, Hannibalī dīxit plūrēs praeter
cōsuētūdinem armātōs appārēre. Quī imperāvit eī, ut omnēs forēs aedificiī
circumīret ac properē sibi nūntiāret, num eōdem modō undique obsidērētur.

(5) Puer cum celeriter, quid esset, renūtiāset omnīsque exitūs occupātōs ostendisset, sēnsit id nōn fortuītō factum, sed sē petī neque sibi diūtius vītam esse retinendam. Quam nē aliēnō arbitriō dīmitteret, memor prīstinārum virtūtum, venēnum, quod semper sēcum habēre cōnsuērat, sūmpsit.

CHAPTER 13 (1) Sīc vir fortissimus, multīs variīsque perfūncus labōribus, annō acquiēvit septuāgēsimō. Quibus cōsulibus interierit, nōn convēnit. Namque Atticus M. Claudiō Marcellō Q. Fabiō Labeōne cōsulibus mortuum in Annalī suō scriptum relīquit, at Polybius L. Aemiliō Paulō Cn. Baebiō Tamphilō, Sulpicius autem Blithō P. Cornēliō Cethēgō M. Baebiō Tamphilō.

(2) Atque hīc tantus vir tantīsque bellīs districtus nōn nihil temporis tribuit litterīs. Namque aliquot ēius librī sunt, Graecō sermōne cōflectī, in iīs ad Rhodiōs dē Cn. Manliī Volsōnis in Āsiā rēbus gestīs.

(3) Huius bellī gesta multī memoriae prōdidērunt, sed ex iīs duo, quī cum eō in castrīs fuērunt simulque vīxērunt, quam diū fortūna passa est, Sīlēnus et Sōsylus Lacedaemonius. Atque hōc Sōsylō Hannibal litterārum Graecārum ūsus est doctōre.

(4) Sed nōs tempus est huius librī facere finem et Rōmānōrum explicāre imperātōrēs, quō facilius, collatīs utrōrumque factīs, quī virī praferendī sint, possit iūdicārī.